

fuert gratuita, contra expressam Aug. Doctrinam de Prædest. Sancto. c. 15.

Respondet Berti, diversam esse rationem creature rationalis innocentis, & Christi; quia Christus fuit caput Ecclesie, quam acquisivit sanguine suo: in unoquoque autem corpore eadem est vita capitis, & membrorum. Unde gratia efficax fuit Christo colata, non ob ejus necessitatem, sed propter Ecclesie sponsæ participationem. Sed contra: Esto verum sit assumptum Berti de corpore physico, non est tamen necessariò verum de corpore morali; ad cujus capitis rationem sufficit, quòd aliquo modo infuset vitam in membra, sive autem Christus habuerit gratiam efficacem, sive non, potuisset nobis influere vitam gratiæ. Unde si ex nullo alio capite ea indigerit, non probatur illum eam habuisse. Insuper quid de B. Virgine respondebit Berti?

Confirmatur 2. Si Adam, eò quòd nullam pateretur rebellionem in appetitu inferiori, non indigerit gratia efficaci ad pia opera, puta, ad diligendum Deum super omnia, sed ipsi satisfuerit gratia versatilis, sequitur, quòd homo regeneratus Christo pariter non indigeat gratia efficaci, tunc quando nulla appetitus inferioris tentatione pulsatur, ut non raro contingit juxta Aug. l. 6. contra Julian. c. 10. & experientia probat. Concupiscentia enim, quæ non stimulat nec tentat, non est magis impedimento ad actum virtutis, quàm si non esset omnino; atqui falsum Consequens, etiam secundum Adversarios: ergo & Ant.

Prob. 5. Conclusio ab inconvenièntibus, & antilogiis, quas incurrit Adversarii. 1. Propugnant prædestinationem gratuitam in hoc statu; negant in statu innocentie. Dicunt eundem ita exigere differentiam statuum, ut creature corrupte eligantur ante prævisa merita, quia Deus est illa daturus per gratiam efficacem: quæ autem non sunt corrupte, eligantur post prævisa merita, quia ea a seipsis, & non a Deo, secundo secundum Aug. mox citatum, ejus prædestinatio fuit gratuita. Insuper potior ratio, quæ probat prædestinationem gratuitam in hoc statu, æquè probat in statu innocentie: scilicet, quicumque ordinatè agit, prius intendit finem, quàm media. Vide, quæ hac de re dixit contra Molinam in t. p. Dissert. de Prædestinatione. 2. Docent Adversarii, decreta divinæ voluntatis pro statu nature lapsæ esse ex se efficacem, & prædeterminantia; negant pro statu nature innocentis, & ratio quæ Aug. horum decretorum efficaciam vindicat pro statu nature lapsæ, militat paritèr pro statu innocentie, nempe omnipotentissima Dei voluntas, quæ de ipsis hominum voluntatibus quod vult facit, quæ humanorum cordium, quo voluerit, & quando voluerit, inclinandum supremam, & absolutam habet potestatem, quæ magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, libr. de corrept. & grat. & alibi. 3. Totis lacertis impugnant Adversarii Scientiam mediam in presenti statu, admittunt in statu innocentie, & tamen ea impugnant pro hoc statu. Idem momentis, quæ ejus impossibilitatem in omni statu demonstrant; inter cætera, quòd nullum sit ejus objectum.

#### Solvuntur Objectiones.

##### Prænotanda.

UNICUM ex Aug. suæ sententiæ fundamentum petunt Adversarii ex c. 10. 11. 12. libri de corrept. & grat. quem Aug. jam senex scripsit, & direxit ad Monachos Aduemetinos. Hi, cum accepissent prædicari ab Aug. quoddam gratiæ genus, quæ ad omnia pietatis opera esset necessaria, nec tamen illis meritis obtineretur, dixerunt neminem esse corripiendum, si bonum non ageret, aut in bono non perseveraret, cum neutrum posset sine gratia, quam nec sibi dare, nec a Deo mereri posset; sed orandum tantum, ut Deus ipsi gratiam largiatur. Ut hanc querelam depelleret Aug. composuit libr. de corrept. & grat. in quo multis argumentis probat hæc duo coherere, scilicet hominem indigere gratia, ut bene agat, & tamen justè corripi, si ea destitutus non bene agat; quæ utrumque docet Scriptura. Deinde multis momentis utilitatem correptionis ostendit. Monachis autem importunius querentibus, cur Deus denegat justis gratiam necessariam ad perseverandum, & tamen ille culpetur, quòd non perseveret? Respondet Aug. justis temporaneis subtrahi gratiam, quia non sicut a massa perditionis eterna Dei prædestinatione discreti, id est, subtrahitur propter peccatum originale. At reponerent Monachi, gratiam perseverantiam fuisse denegatam primo Parenti innocenti, & ante omnem culpam: ergo ille saltem erat excusabilis, nec corripiendus.

Hujus objectionis occasione assumit Aug. tractandam questionem de gratia primi hominis, & Angelorum c. 10. 11. & 12. Queritur a nobis, inquit c. 10. *quoniam assinet ad hoc donum*

*Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, (jam intellige agi duntaxat de gratia perseverantia hialis) quid de ipso primo homine sentiamus, qui certè sine ullo vitio factus est reclusus... si enim in illa rectitudine, in qua sine vitio factus est Adam, habuit perseverantiam, procul dubio perseveravit in ea; & si perseveravit, utique non peccavit... Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam; & si non habuit, utique non accepit... Porro, si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit. Neque enim dici potest idèd non accepisse, quia non est discretus a massa perditionis gratia largitate: nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex qua tracta est origo vitiatæ.*

Huic difficultati Aug. respondet, Adamum nihilominus fuisse inexcusabilem, & corripiendum, quia, licet non habuerit auxilium efficax ad perseverandum, quale datur nunc prædestinatis; habuit tamen auxilium sufficiens, quod erat permissum ejus voluntati, & quocumq; perseverare posset si vellet, sicut boni Angeli cum illo per liberum arbitrium perseveraverunt. Aditque rationem, cur auxilio efficaci, quale nunc datur, non indigeret; quia nempe ejus natura erat sana, & integra, cum nostra sit infirma, & vulnerata, ideoque potentiori auxilio juvanda. Hinc concludit c. 12. *Ipsa adiutoria esse distinguenda. Aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit... Primum itaque homini datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium perseverantiae datur, sed tale ut eis ipsa perseverantia donetur.* Hæc est summa doctrina Aug. in his 3. famosissimis capitibus. Ex qua inferit Jansenius discrimen inter præsentem statum, & statum innocentie in eo sicut esse, quòd gratia propria statui innocentie sit auxilium sine quo, seu gratia sufficiens tantum, & versatilis subdita libero arbitrio, nec ulla fuerit in eo necessaria gratia per se efficax. Gratia autem propria huic præsentis statui sit auxilium quo, seu gratia per se efficax propter infirmitatem naturæ, nec ulla detur in eo sufficiens tantum. Et hoc est, ut jam monui, venenata radix, & origo illius hæresis. Theologi, qui dicuntur Augustiniani, idem inferunt, excepto quòd agnoscant etiam pro præsentis statui gratias sufficientes.

Hanc distinctionem inter adiutorium sine quo non, & adiutorium quo, quorum primum suffecerit Angelis, & primo homini ad perseverandum, alterum præsentis statui sit necessarium, Jansenius libr. de grat. primi hominis c. 17. dicit esse veram, & immobilem basin, cui incumbat tota Aug. Doctrina de gratia Christi, quæ sublata necesse est ruat totum ædificium: *Clavem, quæ ad Aug. doctrinam patet aditus, sine qua qui eam molitur ingredi, velut cæcus in meridie palpabit: filium, quos nisi quis regatur, tota Aug. doctrina merus est illi labyrinthus.* Eadem cantant Cardinalis Norisius, Patres S. Mauri, Boudartius, & alii apud Berti. Verum non advertunt doctissimi viri inde gravem injuriam inferri, non solum Aug. sed coactis adversus Pelagianos Conciliis, & universæ Ecclesie, ut observavit noster Massouhè, Dissert. 4. de grat. Adami art. 10. etenim constat, fatente Jansenio, Aug. hunc libr. de corr. & grat. in quo solo hanc distinctionem duplicis adiutorii quo, & sine quo respectivè ad statum innocentie, & lapsum exprimit, composuisse sub finem vitæ. Quo posito,

Sequitur 1. Juxta adversarios longè aberrasse S. Prosperum in præfatione contra Collat. dùm dixit: *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus viri.* (Augustini) ductu pugnat, et vincit: vincit dico, quia non patitur respirare, quod vincit. Quæ enim victoria tot annis esse poterat, cum arma, quibus solis victoria comparari poterat, nondum Aug. exercuisset? Quibus armis confectum esse bellum, si sua hejus certaminis Dux primarius Aug. nondum protulisset? Vanus igitur fuit de prostrata hæresi Pelagiana Ecclesie triumphus, si in eo capite sita est Aug. Doctrinæ basis, quòd in solo libr. de corrept. & grat. tradidit. Sequitur 2. S. Aug. turpiter delusisse Monachos Aduemetinos, cum, ut eorum dimensiones sedaret, eis misit librum a se editum de gratia & lib. arbitrii. eosque c. 1. de corrept. & grat. instantèr adhortatur, ut illum assidue legerent, his verbis: *Si ergo librum hunc fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, ut dilucidissime sciatis, quibus, & qualibus questionibus solvendis acie sanandis, non ibi humana, sed divina occurrat auctoritas.* Et Epist. 47. ad Valentinum Abbatem, & Monachos Aduemetinos, dùm ad eos mitteret præfatum librum de grat. & lib. arbitrii. *Scriptis ad vos, inquit, etiam librum, quem si, adjuvante Domino, diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones ulterius futuræ.* Num, quæro, clausum obseratumque librum mittebat ipse

sis Aug. nondum missa suæ Doctrinæ clavè? Num in labyrinthum conjicere volebat incautos, nondum contextu filo, cuius solius ope emergere poterant? Num falso commendabat opus, in quo dilucidissime non solum humana, sed divina auctoritas occurreret solvendis de gratia questionibus opportuna? Nondum enim ediderat libr. de corrept. & grat. neque celebrem distinctionem adiutorii quo, & sine quo, pro variis naturæ statibus docerat; sine qua, si adversariis credimus, necesse erat tanquam cæcos in meridie palpate eos, quos lucidissime instructos existimabat Aug.

Insuper adverte absurdum hac in re Jansenii paralogismum. Postquam cit. cap. 17. de gratia primi hominis dixit hanc auxiliorum distinctionem esse clavem, vasum, ac fundamentum Doctrinæ S. Aug. in fine ait: *Quæ sanè ratio est, cur eam insinuatam quidem sæpius, nunquam tamen aperte tradidit, tandem in fine vitæ suæ luculentissime declaravit.* Equis, amabo, in animum unquam induxerit, magnum Aug. noluisse toto tempore vitæ aperte docere hanc distinctionem, sed ad id expectasse finem vitæ, quia est clavè, basis, & fundamentum doctrinæ, quam viginti annis tradiderat? Vah stultum, & præposterum ordinem, Augustino prorùs indignum!

Hac observatione præmissa, accedamus nunc ad germanam explicationem hujus difficultatis Doctrinæ Augustini, & celeberrimæ distinctionis adiutorii quo, & sine quo non. In primis prænotandum, est, quid Aug. intelligat nomine adiutorii sine quo: an ipsam justitiam originalem, an aliquod donum habituale superadditum, non constare inter Theologos, sed quidquid sit, non pertinet ad præsens institutum, eam de solo adiutorio quo agatur: id tantum est observandum, istud donum habituale, qualecumque sit, congruè vocari a Theologis auxilium sufficiens, quia per illud homo redditur potens ad operandum bonum supernaturale: quo etiam nomine vocantur in natura lapsæ quedam gratiæ actuales. Auxilium autem quo, de quo hic est questio, intelligitur ab omnibus auxilium actuale efficax. Porro Thomistæ, ut ostendant necessitatem omnis auxilii efficaci non fuisse ab Aug. negant pro statu innocentie, citatis capitibus de corrept. & grat. duas ineunt vias, quæ tamen coincidunt. Et communis observant, non omne auxilium efficax esse ejusdem conditionis, & virtutis; aliud est movens tantum, & applicans potentiam ad agendum; aliud non solum movens, & applicans, sed simul sanans, & roborans. Primum dicunt necessarium fuisse & Adamo, & Angelis, ratione dependentiæ a Deo in agendo, non secundum quia natura eorum, cum esset sana, & integra, non indigebat auxilio medicinali, & sanativo, quali indiget nunc nostra natura infirma, & vulnerata, cui proinde est necessarium auxilium, quòd sit non solum movens, & applicans, sed etiam sanans, & roborans. Augustinum verò, cum a statu nature innocentis excludit auxilium quo, & efficacem, loqui de auxilio sanante, & roborante, non de adjuvante simpliciter, & applicante; quòd aperte colligitur ex ejus verbis c. 11. ubi ait: *Ille (Adam) non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti (Sancti in hac vita) cum dicunt: "Video aliam legem in membris meis re-pugnante legi mentis meæ, & captivante me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?" ... Ille verò, nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illa beatitudinis loco sine secum pace fruebat.* Hac autem opposita distinctione facile explicantur phrasæ Aug. quæ videntur alienæ a nostra sententiâ: facilis adhuc, si jungas sequentia. Itaque

Alter dicendi modus est sapientissimi Patris Antonii Goudin; qui, supposita, & admissa præfata distinctione adiutorii quo in movens, & sanans, addit, & observat Deum influere duobus modis in causas secundas; primò per ordinariam providentiam vires earum activas dirigendo, movendo, applicando ad effectus ipsis propriis virtutibus proportionatos. 2. Causas secundas adjuvando, modo quodam supra consuetum rerum cursum, & conditionem virium, ac speciali auxilio; quo fit, ut per virtutem ab eis efficiantur aliquid excedens vires suas, & quòd nunquam ab ipsis fieret sub consuetum tantum auxilium; ut cum per paucos infirmosque milites ingentem, & fortem exercitum profugit: cum mulieri, cujus gignendi facultas est infirma, & impedita, juxta consuetum rerum ordinem, & suarum virium conditionem vel nullam, vel non nisi admodum infirmam prolem gigneret, speciali munere confert, ut vegetiorem prolem, quam quævis fecunda mulier, pariat.

Primum Dei influxus, quia communis omnibus omnino causis, non recensetur inter auxilia gratuita propriè dicta, nec ad illum respiciunt, sed eum supponimus, cum querimus, quid possit, aut non possit aliqua creatura per proprias vires absque gratuito auxilio. Quòd enim fieri potest, aut reipsa fit a creaturis cum tali auxilio communi divinæ Providentiæ, dicitur posse fieri, aut reipsa fieri per vires creaturæ. Unde, Theol. Billuart. Pars Secunda.

cum assignamus causam, cui ita fiat aut non fiat, non recurrimus ad illum Providentiæ influxum, sed ut propriam causam, & rationem afferimus virtutes activas creatas. Sic, quòd mulier sana, & fecunda pariat, quòd miles generosus vincat hostem imbellem, quòd homo sanus ambulat, loquatur, colat agros, plantet vineas, licet hæc non fiant sine generali Dei concursu, illi tamen non referimus, nec dicimus fieri ex Dei auxilio, sed per proprias vires natura. At, quæ fiant a causis secundis per virtutem aliquam specialem, a Deo gratis ultra conditionem virium naturalium collatam, & moventem, ea dicuntur propriè fieri per Dei auxilium, illicque ut auctori propriè tribuuntur, non verò causis secundis: ut quòd Jonathas cum suo armigero tot millia hominum profligaverit, id non ipsi Jonathæ, nec ejus virtuti tribuitur, sed Deo adjuvanti specialitèr supra communem rerum cursum, atque conditionem virium naturalium. Similitèr, quòd mulier sterilis, & infecunda speciali Dei munere pariat prolem vegetam, ut contingit in Elisabeth Matre Joann. Baptistæ, non virtuti propriæ, sed Deo tribuitur.

Hoc duplici divini influxus modo posito, quem nemo inficiari potest, quavis tandem ratione explicetur, de quo non est nunc questio, dicimus Aug. libr. cit. de corrept. & grat. ubi agit questionem de perseverantia respectu nature innocentis, & lapsæ, supponere a sua disputatione, aut potius supponere Providentiam illam generalem, ejusque motionem, & directionem, solumque respicere ad auxilium illud propriè dictum, id est, ad virtutem specialem gratis datam supra nature conditionem, quæ Deus in nobis, & per nos plerumque facit, quæ per insitas libero arbitrio vires alioquin minime herent. Non enim illi erat controversiæ circa Providentiam, & modum generalem, quo Deus omnia in omnibus operatur, sed de gratuito divini gratiæ auxilio; atque de illo adiutorio speciali querit: an ad perseverandum eo indigeat Angelus, & homo innocens, ut nos in natura lapsa indigemus.

Statu questionis ita statuto, plana est S. Aug. Doctrina de discrimine circa adiutorium statûs nature innocentis, & lapsæ, etiam salva necessitate gratiæ per se efficaci in utroque statu. Natura enim innocens se habet ut natura fortis, & sana, instructa omni facultate ad bonum, etiam supernaturale agendum. Unde secundum ordinariam rerum cursum, & conditionem virium suarum, & applicans, & bonum agere, & in eo perseverare poterat; imò effectum est, ut Angeli boni id præstiterint. Quòd cum dicitur, non excluditur motio, & directio generalis divinæ Providentiæ, quæ in omni agente locum habet, ut notat S. Thom. tota Quæst. 109. & alibi, & docet Aug. locis relatis in probat. Unde natura innocens cum collatis sibi virtutibus perinde agere ac perseverare poterat, ac mulier fecunda, & sana vegetam prolem gignere, ac miles fortis, & armatus hostem ignavum, & inermem vincere, & homo sanus ambulare, & loqui quamquam, cum id fit, minime fiat absque Dei motione, quam nostri Thomistæ explicant per physicam præmotionem, omnibus agentibus secundis in quovis statu necessariam. Quamobrem in Angelis perseverantibus habuit locum gratiæ per se efficaciæ, quatenus Deus non solum eis contulit, ut cum aliis facile perseverare possent, sed etiam eos præ aliis sic movit, & direxit, ut reipsa perseverarent. At homo in hoc statu etiam per gratiam justificatus se habet ad bonum, & ad perseverantiam ut causa infirma, innumerisque impedimentis implicata, ex quo fit, ut si solum secundum consuetum cursum rerum, & juxta propriæ conditionis modum ei provideretur, nemo perseveraret; & ideo iis omnibus, qui perseverant, confertur per specialissimum Dei auxilium, non solum juxta consuetum modum movens, & dirigens, sed etiam specialissimo modo sanans, roborans, & dirigens, & ut ita dicam manu tenens hominem, ut, licet infirmus, inter tot tentationes perseveret per Dei virtutem; quòd minime fecit primus homo, habens virtutem liberi arbitrii sani, & fortis, atque instructi omnibus supernaturalibus habitibus, cui etiam aderat Deus ut primus motor, nisi ipse illi defuisset. Quòd totum intelligit August. per auxilium sine quo. Hæc paucis mutatis laudatus Goudin Tract. de gratia quæst. 2. art. 5. & fusius Tract. de Prædest. quæst. 2. art. 4.

Igitur juxta hunc alterum dicendi modum, aut potius juxta utrumque (coincident enim, ut dixi, & secundus non est nisi major explicatio prioris) facilis est responsio ad ea omnia, quæ Adversarii nobis opponunt ex Aug. libr. de corrept. & grat. quòd nobis restat peragendum. Itaque sequuntur

#### Objectiones.

Opponunt, Aug. laudatis cap. pluribus dicere Adamo datum esse adiutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset; sanctis autem prædestinatis in hoc statu dari adiutorium, quo perseverant. R. Id a nemine negari; indubium est

enim, Adamo non fuisse concessum adiutorium, quo perseveraret, alioquin perseverasset; sed nihil inde pro adversariis, non enim querimus, an Adam habuerit istud adiutorium, sed an illo indigeret?

Inst. 1. Dixit Aug. gratiam Adami fuisse minorem, sed le-tiorem; gratiam Christi esse tristorem, sed potentior. Responderi potest ut antè, Aug. loqui de gratia perseverantiae, quae de facto fuit concessa Adamo, non de illa, qua indigebat. Sed, dato Aug. contulisse gratiam Christi cum gratia Adami, non quam habuit, sed quam habuisset, si perseverasset, & qua illi opus erat ad perseverandum, non sequitur gratiam Adamo necessariam fuisse versatilem, & non efficacem: quia inter gratias efficaces sunt aliae aliis potentiores, eae scilicet, quae ad plures, & nobiliores, & difficiliores effectus edendos ordinantur. Quis enim dubitat, gratiam, quae prostravit Saulum furentem, & spirantem minarum, & cecidit in discipulos Domini, fuisse potentior, quam qua convertit latronem sua crimina in cruce expiantem? Porro gratia Christi ordinata ad plures, & difficiliores effectus, nempe ad sananda vulnera naturae, ad vincendam rebellem concupiscentiam, &c. quam gratia Adami, in quo erat natura sana; & ideo haec fuit minor, sed le-tior; illa est tristior, sed potentior.

Hinc vides, nos distinguere inter adiutoria utriusque status, non solum ratione titularum, quod natura innocens unico titulo indigeret auxilio efficaci, ob subordinationem scilicet, & dependentiam; natura vero lapsa duplici titulo, illo scilicet, & praetera titulo infirmitatis, ut putant adversarii; sed distinguimus ipsa adiutoria etiam ratione sui, quatenus unum est specialius, & potentius altero. Hinc etiam praecipitur quod reponunt, scilicet gratiam sine innocentiae non fuisse etiam quantum ex se sanativam, & medicinalem; quia, inquit, hoc ipso quo fuisse per se efficacem, sanasset infirmitatem, si invenisset. Hoc enim negamus, & dicimus, quod non omnis gratia efficax sit ex se sanativa, sed ad hoc requiritur specialis, & fortior virtus: unde gratia primi status fuisse per se efficacem respectu naturae sanae, non vero respectu naturae infirmae, nisi virtute superaddita.

Inst. 2. S. Aug. totis his 3. cap. asserit: *Tale fuisse adiutorium Adamo datum, quod desereret, cum vellet; & in quo permaneret, si vellet... Deum suam gratiam dimisisse libero Adami arbitrio... perseverare in eius libero arbitrio fuisse relictum; & similia; atque haec aperte significant gratiam versatilem, & perseverantiam ex sola Adami voluntate pendisse: ergo. R. N. Min. Duplici ratione. 1. Quia Aug. similes loquendi formulae usurpat loquens de gratia huius status; ex quibus tamen colligi non potest huius status gratiam agnovisse versatilem, & exclusisse per se efficacem. Sic c. 7. libr. quem expendimus, rejiciens excusationem eorum, qui dicant: *Non perseveravimus, quia perseverantiam non accepimus*: Reponit: *Homo in eo, quod audierat, & tenuerat, eo perseveraret, si vellet*. Libr. ad Simplic. *Si Esau voluisset, concurrisset*. Libr. de nat. & grat. c. 64. *Ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire, & credere*. Libr. 12. de Civit. c. 6. de duobus adolescentibus eadem tentatione pulsatis loquens: *Si, inquit, eadem tentatione ambo tenentur, & unus ei cedat, alter idem quod fuerat perseveret, quid aliud apparuit, nisi unum voluisse, alterum voluisse a castitate defecere?* Quemadmodum ergo Aug. huiusmodi loquendi formulae non adstruit gratiam versatilem pro hoc statu, nec ab eo excludit gratiam efficacem, sed tantum assignat causam immediatam boni operis, seu perseverantiae, scilicet liberum consensum arbitrii, salvo semper jure primae causae, a qua secunda habet, quod velit, & faciat, ut ipsemet Aug. aperte declarat l. 1. Re-tract. c. 10. ubi, cum Pelagiani similibus loquendi formulae a se prius usurpatis, scilicet quod non semel dixisset, *Homines posse bene agere, si velint*, abuterentur; monet se hoc dixisse absque praedictio gratiae, qua Deus operatur in hominibus, ut velint: *Quod verò dixi, inquit... quid omnes possunt* (implere mandata) *si velint, non existiment novum Haereticum Pelagianum secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint, sed praeparatur voluntas a Domino*. Ita, quando dicit, Adamum potuisse perseverare, si vellet, perseverantiam positam esse in ejus arbitrio, & similia, non vult indicare gratiam versatilem, & excludere efficacem, sed vult tantum assignare causam immediatam, scilicet liberum voluntatis consensum, supposita semper prima cuiusque operis causa & necessitate efficacis ejus motus. Id etsi data paritas non probaret, evincerent formales textus ipsius Aug. quos recensimus in 1. probat. Conclusionis versus finem, respondendo cuidam instantiae Berti. 2. Has loquendi formulae adhibuit specialiter de Adamo Aug. quia, ut observavimus supra, ea, quae facimus, aut facere possumus ex sola communi Dei motione, secundum conditionem virium nostrarum collata, & movente, dicuntur juxta communem modum loquendi esse permissa nostro arbitrio, nos ea posse facere, si velimus, &c. E contra, quae facimus aut possumus tantum ex specialiori auxilio Dei supra con-*

suetum modum, & conditionem virium nostrarum movente, ea non dicuntur arbitrio nostro dimissa, nec nos posse ea facere si velimus, sed Deo specialiter moventi tribuuntur. Sic dicimus, hominem sanum posse ambulare, si velit, ambulare esse relictum, aut permissum ejus arbitrio; militem fortem, & generosum optimis armis praecinctum posse, si velit, vincere hostem ignavam, & inermem, victoriam esse in ejus arbitrio; & ita loquimur, non exclusa motione communi primae causae, sed ea supposita. E contra de homine infirmo non dicimus, quod posset ambulare, si velit, ambulare esse in ejus arbitrio. De milite timido, & inermi non dicimus, quod possit si velit vincere hostem generosum, & strenuè armatum, nec quod victoria sit in ejus arbitrio; quia, licet id possit, aut faciat, non tamen potest, aut facit nisi ex auxilio speciali, supra consuetum modum, & vires collato, & influente. Cum ergo Adam esset sanus, & virtutibus infusus cumulat, sufficiebat illi ad perseverandum auxilium commune, & consuetum, influens secundum conditionem ejus virium; nec indigebat auxilio speciali sanante, & roborante vires, quales indiget homo lapsus, & infirmus. Quamobrem hoc speciali titulo verè dixit de Adamo Aug. potuisse perseverare, si vellet, perseverantiam esse in ejus arbitrio, & similia; & quae ratione dici non possunt de homine lapsus, & infirmo.

Instant. 3. Aug. dicit, *Angelos Sanctos, eadem viis alii per liberum arbitrium per idem liberum arbitrium stetitisse, malos Angelos per liberum arbitrium a Domino Deo refugas factos esse, ceteros autem per ipsum liberum arbitrium in veritate stetitisse*; atque mali ceciderunt per liberum arbitrium sine novo gratiae beneficio; ergo, si per idem liberum arbitrium steterunt boni, steterunt sine novo gratiae beneficio. R. D. Maj. Sancti Angeli steterunt per idem liberum arbitrium, per quod mali ceciderunt, per idem identitate virium ex donis habitualibus, & quoad actum primum, C. Quia omnes Angeli tam boni, quam mali fuerunt in sua creatione gratia sanctificante, & virtutibus infusus donati. Per idem identitate adiutorii actualis, & quoad actum secundum, N. In-victè enim probavimus ex Aug. Angelos stantes fuisse amplius adjuvatos. Insuper certum est, Angelos bonos stantes per gratiam saltem sufficientem, malos non occidisse per gratiam. Sicut ergo Aug. dicens, *per liberum arbitrium*, non excludit juxta Adversarios gratiam sufficientem, ita juxta nos non excludit efficacem. Adde juxta observationem factam ad majorem elucidationem, Aug. verissime sic loquatur fuisse absque praedictio gratiae ulterioris bonis Angelis concessae. Ponamus duos milites aequalibus armis, & viribus instructos, quorum unus arma spontè abiciens, somno, ludo, &c. indulgens, ab hoste vincitur, alter armis, & viribus rectè utens hostem vincit; verissime dicimus, utrumque per easdem vires potuisse vincere, hunc per hujusmodi vires vicisse, alterum cum iisdem viribus sua culpa victum esse: neque tamen ab illo, qui vicit, excludimus motionem communem applicantem, & efficientiam causae primae, sed dumtaxat auxilium speciale efficiens aliquid supra conditionem ejus virium.

Instant. 4. Aug. dixit, *Deum prius ostendere voluisse, quid posset liberum arbitrium Angelorum, & hominum; deinde quid posset gratiae beneficium, justitiaeque iudicium*. Quae verba si intelligunt, ut Deus creando Adamum, & Angelos dederit illis arbitrium, quod cum gratia versatili sine novo gratiae beneficio posset perinde agere bonum, & malum; deinde homini lapsus dederit efficacem auxilium resurgendi: demum in Angelos Apostatas justitiae iudicium exercuisse. R. 1. Me jam divisè, & probasse haec esse dicta ab Aug., non in commendationem, sed in depressionem liberi arbitrii, scilicet Deum voluisse ostendere, quid arbitrium se solo posset ad malum, & non ad bonum. Vide 1. probationem conclusionis sub finem. 2. Dato gratias quod Aug. dixerit Deum voluisse ostendere, quid arbitrium posset ad bonum, & ad malum, id etiam ostenditur in nostra sententia. Pone duos milites, unum fortem, & generosum, alterum timidum, & infirmum, uterque vincit hostem pariter fortem, & robustum: primus sub providentia Dei ordinaria, & motione communi secundum conditionem virium influente, & movente, alter auxilio speciali, non solum movente, & applicante secundum providentiam communem, sed etiam sanante, & roborante ex speciali providentia. Ostenditur in primo, quid valeat generosa virtus; in secundo, quid valeat auxilium divini beneficium; quia, ut dixi, quae sunt a nobis ex motione secundum communem providentiam, & conditionem virium influente, & movente, tribuuntur causis secundis; quae autem fiunt ex speciali motione efficiente aliquid excedens vires, tribuuntur Deo. Similiter igitur in Angelis sanis, & integris per motionem communem moventem tantum, & applicantem secundum communem providentiam perseverantibus, ostensum est, quid possit liberum arbitrium ad bonum: in homine lapsus, & infirmo per auxilium speciale sanans, & roborans perseverante, quid valeat gratiae beneficium.

Inst. 5. Aug. in fine cap. 12. ponit causam, quo Adam

perseverare voluisset; & dicit, in eo casu non defuturum illi fuisse adiutorium Dei, sine quo perseverare non posset, defuturum tamen fuisse, quo Deus operaretur ut vellet. Verba ejus sunt: *Voluntas primi hominis fortis, & sana non perseveravit habens virtutum liberi arbitrii, quamvis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet: non tamen tali, quo illo Deus operaretur ut vellet*: ergo aperte censet Adamum non indiguisse auxilio quo, seu efficaci ad perseverandum. R. Hanc intelligentiam textus August. directè contradicere Apostolo dicenti: Deum operari in nobis velle, & omnia. Undè D. Consequens: ergo Aug. censet Adamum non indiguisse auxilio quo, seu efficaci, sanante, & roborante, C. Simpliciter movente, & applicante, N. Vel, quod idem est: non indiguisse auxilio speciali secundum providentiam extraordinariam movente ad aliquid excedens vires, C. Auxilio communi, ex providentia ordinaria collato secundum conditionem virium, N. De primo enim totis illis capitibus unice loquitur, & quærit Aug. utrum scilicet necessarium fuerit Adamo auxilium, quod implorant Sancti in hac vita, dum dicunt: *videte aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*. Utrum autem fuerit Ad. mo. necessarium alterum commune auxilium, secundum consuetum providentiam, & conditionem virium simpliciter movens, & applicantes, non quidem hic asserit Aug. sed supponit, & alibi docet, ut vidimus.

Inst. 6. Aug. dicit, sub primo adiutorio in statu Innocentiae merita fuisse humana, & propria libero arbitrio; sub secundo autem adiutorio in hoc statu merita esse proptissima dona Dei, & ideo homines non posse gloriari de sua perseverantia; per quod innotuit, licet expressè non dicat, perseverantiam in statu innocentiae potuisse gloriari de sua perseverantia; quae palam indicat primos Parentes, & Angelos non indiguisse auxilio quo, & efficaci, sed versatili subditio eorum arbitrio: alias eorum merita non possent dici humana, & propria libero arbitrio, sed dona Dei ut nunc. R. Eadem semper solutio, merita sub primo adiutorio dici humana, & propria libero arbitrio, non quod non sint a Deo moventes, & applicantes secundum consuetum modum, & conditionem virium; sed quia non sunt a Deo specialiter auxiliante ultra conditionem virium; sicut, ut istam in exemplo jam posito, quod miles fortis, & generosus vincat hostem parum, aut inferiorem, dicitur proprium ejus meritum, quamvis non excludatur motio providentiae communis ipsum movens, & adjuvantis secundum conditionem virium, indeque aliquatenus posse gloriari, tamen haec gloria tandem ulterius in Deum ut primam causam referenda sit. Si autem miles infirmus, & timidus ex speciali Dei auxilio, supra conditionem ejus virium collato, vincat hostem fortem, & generosum, non dicitur proprium ejus meritum, nec posse de hac victoria gloriari, sed accepta referatur Deo specialiter adjuvanti, sananti, & roboranti.

Cæterum pro harum, & similium instantiarum solutione, mente sunt tenenda, & praecolui semper habenda sequentia 1. Aug. praefatis, & consimilibus loquendi formulae horum 3. cap. de corrupt. & grat. praecise querere de auxilio quo perseverantiae. 2. De auxilio, quale implorent Sancti in hoc statu naturae lapsae, & infirmae consequenter de auxilio medicinali, & sanante, de auxilio speciali per Providentiam extraordinariam ultra consuetum modum, & conditionem virium praesentium collato, & movente ad aliquid excedens vires habitas. 3. Nunquam S. Praesentem dixisse, Adamum instructum auxilio sine quo potuisse seipsa perseverare, & Angelos de facto perseverasse sine aliquo ulteriori auxilio; imò contrarium asseruisse, ut probatum est. 4. S. Aug. dum repetit necessitatem gratiae efficacis ex infirmitate naturae, vel non assignare causam totalem, & adequatam, sed partialem, & in adequatam tantum; vel intelligere de gratia medicinali, & per specialem Providentiam collata: non simpliciter movente, & applicante juxta conditionem virium. 5. Tandem S. Thom. quem Jansenius aliquando vocavit Aug. contractum, intelligere Aug., sicut nos intelligimus. Undè Estius, in Aug. Doctrina versatissimus; dicit in l. d. 41. §. 4. *Sane, nisi hanc a S. Thom. insinuatam intelligentiam verborum Aug. recipiamus, difficultum erit, ac ne possibile quidem, Aug. sibi conciliare*.

Non me fugit, quosdam ex Adversariis, Laurentium Berti, & Aurelium Pietre, tentare D. Thom. in suas partes trahere; sed irritò plane conatu. Liqueat, inquit Berti, D. Thom. nulli statuisset praedeterminationem necessariam ex capite dependentiae. Pate doctissimi viri, liquet ipsum errore manifesto laborare; quem ut deponat, legat S. Thom. quaest. 3. de potent. art. 7. 1. part. quaest. 105. art. 5. 1. 2. tota Q. 109. centies alibi. Legat Thomistas, quotquot hac de re scripserunt praesertim P. Anton. Massoulié toto opere de motione divina, & specialiter Dissert. 1. quaest. 4. art. 5. 6. 7. & 8. in quibus invictè prob. S. Thom. statuisset praedeterminationem necessariam ex capite dependentiae; & quod majus est, illam statuisset ex S. Aug.

Proferunt insuper S. Thom. in hac parte quaest. 109. art. 10. & 2. 2. quaest. 137. art. 4. In utroque loco S. Doctor quaerit, utrum homo justificatus indigeat auxilio ad perseverandum, & postquam resolvit affirmative, proponit sibi hoc argumentum: donum Christi est majus, quam nocumentum illatum ex peccato Adæ; atqui Adam accepit unde posset perseverare: ergo homo habens gratiam Christi potest perseverare, sicque non eget alia gratia ad perseverandum. Hinc argumento respondet his verbis quaest. 137. cit. *Ad 2. dicendum, quod sicut Aug. dicit in libr. de corrupt. & grat. primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio erat in humana natura, quae perseverandi difficultatem praebet; sed nunc praedestinatus per gratiam Christi non solum datur, ut perseverare possit, sed ut perseveret: unde primus homo, nullo terrentis contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate: isti autem, sicut mundo ne starent, steterunt in fide*. Idem quaest. 109. cit. Arguunt ergo adversarii in his responsis S. Thom. non dicere Adamo fuisse ad perseverandum necessarium aliquod ulterius auxilium, sed quod facilis poterat perseverare, quam nos; quo aperte indicat; quod, licet nos indigeamus ultra gratiam sanctificantem novo auxilio ad perseverandum, ipse tamen non indigeret. R. Equidem S. Thom. indicare in his responsionibus Adamum non indiguisse aliquo ulteriori auxilio, sed quo? Quali nos indigemus: scilicet sanante; quia, ut dicit, *nulla corruptio tunc erat in humana natura*. At non negat, indiguisse ulteriori auxilio movente, & applicante. Sed quid dico non negat? Imò formalissimis terminis ipsum eo indiguisse asserit tota ferme quaest. 109. cit. *Sic igitur, inquit art. 2. o. virtute gratuita superaddita virtuti naturae indiget homo in statu naturae integre, quantum ad unum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturalis. Sed in statu naturae corruptae quantum ad duo, scilicet ut sanetur, & ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritum. ULTERIUS AUTEM JN UTROQUE STATU INDIGET HOMO AUXILIO DIVINO, UT AB IPSO MOVEATUR*. Qui haec non intelligit solem non videt in meridie. Confer, quae dixi probatione 2. sub finem.

Instant denique. Si Aug. censuisset, Adamo ultra auxilium sufficientem, & sine quo, necessarium fuisse ad perseverandum aliquo alio quod non habuit, non satisfecisset objectioni sibi factae a Monachis Adrumetinis; hi namque dicebant: estò homines, qui in hoc presenti statu non perseverant, sint inexcusabiles, & corripendi, quamvis dono perseverantiae careant, quia eo carent culpabiliter propter peccatum originale; Adam saltè non perseverans fuit inexcusabilis, cum illo dono careret antè omnem culpam. Quod enim respondet Aug. Adamum non fuisse excusabilem, quia habuit auxilium, quo poterat perseverare, insufficientem est, si ut repa perseveraret, indigeret aliquo alio auxilio, quo sine culpa caruit. Hinc enim est excusabilis. R. Aug. objectionem factam solvisse, non quidem qua late patet per se, sed quantum satis erit ad suum propositum, scilicet ad probandum Adamum non fuisse excusabilem, & aliunde lapsus ejus non posse trahi in exemplum ad extimendos homines huius status non perseverantes a correptione, quod erat summa disputationis inter Aug. & Monachos. Quæstio enim erat: ut jam sepè monui, de auxilio medicinali, quale nunc datur Praedestinatis ad perseverandum. Ostendit autem Aug. quod, quamvis Adam illo carerit, non sit tamen excusabilis; quia, cum non esset infirmus, illo non indigebat, & habebat auxilium, quocum facillimè poterat perseverare, nulla infirmitate, aut ignorantia, aut concupiscentia, aliave simili difficultate impeditus. Undè, quod non perseveraverit, non ideo fuit quia non potuit, sed quia noluit; per quod soluta manet obiectio. Cæterum, utrum, si voluisset Adam perseverare, sicut voluerunt boni Angeli, egressisset ulteriori auxilio, & qua de causa fuerit illi denegatum, non hic discutit Aug. tum quia id non erat necesse pro depellendis scrupulis Monachorum, quippe cum eorum status esset longe diversus a statu Adami, huius lapsus non poterant trahere in exemplum; tum quia ista quaestio non spectat medicinalem gratiam Christi Redemptoris, de qua sola agebatur, sed alteram profundiorum disputationem de providentia generali, & motione Creatoris, a quo omnia bona descendunt; tum tandem, quia si hanc altiorum disputationem hic discutere aggressus fuisset, difficultates multiplicasset, & novos nodos quaestioni injecisset. Familiare autem fuit Aug. in materis controversis, & agendo partes disputatorum polemicis, suam disputationem intrà certos terminos coercere, nec plus dicere, quam sit necesse solvendi objectionibus, aut dubis interrogantium, missis reliquis, quae in praesentiarum videntur minus necessaria. Id constat variis exemplis in Aug. Possimus habere Opusc. de sex Quaestionibus Paganorum Ep. 49. ubi

Ethico querenti: cur Christus celeris non advenisset? Respondet simpliciter Aug. Tum voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Hæc autem resumens libr. de prædest. Sanct. c. 9 fatetur se in primo loco non attigisse graviolem difficultatem, ntrum nempe, prædicato sibi Christo, a seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi? Hancque de industria omisisse, quia nihil ad propositæ questionis resolutionem pertinebat, & ne novas disputationi ambages neceret: Sed quoniam, inquit, si ita diceretur, lectorem faceret intemum ad ea requirendo, que nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius, & laboriosius disputari; visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, excepta, ut dixi, altitudine sapientie, & scientie Dei, & sine præiudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliis opportunis disputandum putavi. Alia ejusdem œconomiz exempla habes l. 1. Retract. c. 9. l. 2. de peccat. merit. a. 17. & alibi.

Dices: Juxta Thomistas gratia efficax supponit potentiam per gratias sufficientes completam, & expeditam, eamque tantum applicat ad agendum: ergo non sanat nec roborat, sed sanatur, & roboratur supponit. R. 1. Hoc argumentum non posse nobis serio opponi ab Augustinianis, qui agnoscunt nobiscum gratiam efficacem Christi esse medicinalem, & præbere vires efficacissimas voluntati, ut loquitur Aug. R. 2. D. Conseq. ergo non sanat, nec roborat potentiam in ratione potentie simpliciter, & præcisè, & ante solitarie sumptæ, Transit: in ratione potentie conjungendæ cum actu, N. De quo plura alibi. Vide art. seq. n. 6. Neque tamem existimandum est, per hanc gratiam actualem medicinalem hominem lapsum ita sanari, ut ad statum originalis justitiæ redeat, & pristinae sanitati restituatur; quia vires illæ, quas confert, non sunt ad modum habitus permanentis, sed instar virtutis alicujus vitalis, & transitorie.

Solvuntur objectiones Tournely.

Honor Tournely, qui passim in suis Prælectionibus Janenium acriter insectatur, & impugnat, ejus partes hic suscipit quæst. 1. de grat. art. 1. §. Quod gratia; contenditque cum ipso, Adamum non opus habuisse ad perseverandum auxilium quo, seu efficaci; sed satis fuisse ipsi auxilium sine quo permissum ejus libero arbitrio: & inter varias opiniones Theologorum, quas refert circa discrimen adjutorii utriusque status, Thomisticum de necessitate præmotionis physicæ in statu innocentie pro suo solito more specialiter vellicat: Sed quæ profert adeo levia sunt, ut vix difficultatis nodum attingant, & facillimè ex dictis solvantur: quapropter succinè illa perstringam. Itaque opponit 1. Ex assertionem necessitatis præmotionis physicæ pro statu innocentie ruit discrimen ab Aug. statum inter gratiam utriusque status, nature innocentis, & lapsæ: ergo, Prob. Ant. Juxta Thomistas, posita præmotione actio sequitur; ea non posita non sequitur. At in mente Aug. opus non habuit tali auxilio: ergo, Prob. Ant. Aug. libr. de corrupt. de grat. cap. 12. ait: *Primo homini datum est adjutorio*

## DISSERTATIO III.

### DE NECESSITATE GRATIAE.

D. Thom. Quæst. 109.

#### ARTICULUS I.

Quid intelligatur nomine Gratia.

**R**elictis variis Gratia; acceptionibus, hic sumitur generaliter pro quocumque dono, seu beneficio gratis, hoc est, ex mera Dei beniginitate, non ex justitia, aut ex meritis nostris concessio. Sub hac generali Gratia; acceptione omnia dona naturalia, scilicet ipsa natura, & omnes ejus potentie possunt dici gratia; gratis enim Deus nobis contulit esse, vivere, sentire, intelligere, velle, &c. Hæc tamem, etsi isto lato sensu dicantur gratia; non possunt dici auxilia gratia; quia auxilium supponit eum qui adjuvat, & potentias activas, quas adjuvat. II. Gratia proprie, & communè Scripturæ atque Ecclesiæ sensu accipitur pro dono gratuito, sive habituali sive actuali, nature superaddito. Unde Pelagius deceperit Episcopus Palestinos, dum ab eis interrogatus, an admitteret necessitatem gratia; respondit se admittere, intelli-

perseverantia, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. R. N. Ant. ad Prob. N. Ant. ad Prob. dico, S. Aug. his verbis exprimit adjutorium, quod de facto habuit Adam, non quo indiguit ad perseverandum, de quo hic quærimus.

Opponit 2. stante præmotione physica, & in sensu composito illius liberum non esse create voluntati eam rejicere; at, S. Aug. teste, adjutorium Adæ non fuit ejusmodi ergo. R. Majorem esse plusquam falsam, & veram calumniam scholæ S. Thomæ illiberaliter impactam. Dicunt enim Thomistæ de præmotione, ea stante, & in sensu composito illius, cum Cone. Trid. quod voluntas creata eam abjicere possit. Insuper loquitur August. loco cit. a Tournely de Auxilio sine quo non, quod habuit Adam; non de auxilio quo, quod non habuit.

Opponit 3. Prædeterminatio physica nusquam a create voluntate deseritur; at tale profectò non fuit adjutorium Adami innocentis; tale quippe erat adjutorium, inquit Aug. quod desereret, cum vellet. R. ut antè, D. Min. Tale non fuit adjutorium Adami, quod habuit, C. Quod non habuit, & quo indiguit, N. De primo loquitur Aug. in verbis cit.

Opponit 4. Si Adamo innocenti ad perseverandum necessaria fuisset præmotio physica, a culpa excusari potuisset, quod non perseveraverit; quia nempe absque ullo precedente peccato caruisset auxilio, quod planè necessarium supponitur, ut quis bene agat, & perseveret: quo dicto, quasi certus de palma, & in hostem prostratum insurgens, dicunt, inquit, *Adversarii, cur Deus Adamo innocenti, & ante omne ejus peccatum, tale auxilium subtraxerit?* &c. R. hoc argumentum rimas undequaque pari. 1. ut quis sit inexcusabilis, non requiritur, quod habeat auxilium quo perseveret, alioquin nemo unquam foret culpandus; sed sufficit, quod habeat auxilium, quo planè, & facillè potest perseverare, & non perseveret; tale habuit Adam. 2. Denegatum fuit Adamo auxilium quo seu efficax propter culpam tempore concomitantem, natura precedentem. Vide, quæ abundè dixi circa hanc difficultatem Dissert. de volunt. Dei art. 4. §. 3. Nullus Catholicus negat, aut negare potest, Deum potuisse lapsum Adami impedire: Dicat Doctor Sorbonicus, cui solutiones nostræ non sufficiunt, quare non impedivit? Et ipsum non pigeat respondere cum Aug. l. 11. de Genes. ad litt. c. 10. *Quia noluit; cur voluerit, penes ipsum est.* Et de dono persev. c. 12. *Iterum atque iterum dicimus, nec nos pigeat: O homo! tu quis es qui respondeat Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Et hoc adjiciamus: altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.*

Opponit 5. Necessitatem auxilii, quo creata voluntas ad bonum indeclinabiliter inclinatur, unice repetit Aug. c. 12. ex infirmitate nature lapsæ, non ex necessitate physicæ præmotionis. R. Aug. loqui de necessitate auxilii sanantis, & medicinalis, non simpliciter moventis, & applicantis. Patet ex supradictis. Alibi autem agens generaliter de auxilio, seu motione Dei, ejus necessitatem etiam repetit ex dependentia creaturæ a Deo, ut probavimus. Et hæc plusquam satis de ista questione

gens per gratiam liberum arbitrium, & facultates naturales: Nullum enim, illi Episcopi, aliam Dei gratiam intelligere poterunt, inquit Aug. Ep. 95. nisi quam in libris Dei legitur, & populus Dei predicare consueverunt.

III. Gratia hæc, tam habitualis, quam actualis, est duplicis ordinis, naturalis scilicet, & supernaturalis: naturalis, quæ movet ad bonum intrâ spheram naturalium, ut si Deus infundat lumen scientiæ naturalis, aut moveat specialiter ad rerum naturalium cognitionem. Supernaturalis, quæ vel habitu vel motione adjuvat ad ea, quæ excedunt vires nature, ut cum Deus infundit habitum fidei, vel charitatis, aut movet ad alterutrum actum. Inter utrumque hoc auxilium potest adhuc distingui alterum quasi medium, quod de utroque aliquid participat, scilicet ut sit naturale quoad substantiam, & supernaturalis quoad modum, & hoc, vel ex parte principii, vel ex parte termini; ex parte principii, ut v. g. dum Deus eum natum illuminavit: modus namque operandi hunc effectum fuit supra vires nature, quamvis effectus, consequentur ip-

ipsa gratia, substantialiter sit intrâ ordinem nature; non enim iste visus fuit alterius rationis, quam visus ceterorum hominum: ex parte termini, ut si Deus ex Providentia supernaturali imperans naturali dirigat, ut moveat res naturales in ordine ad salutem supernaturalem.

IV. Verum, quia gratia dividitur contra naturam, gratia præcisè sistens in bono naturali minus proprie dicitur gratia: unde propriissime dicitur gratia, vel habitus supernaturalis infusus, ut gratia sanctificans & virtutes infusæ; vel motio supernaturalis, qua nos movet Deus ut primus motor in ordine gratia; ad actus supernaturales; vel etiam ea Dei operatio, qua res naturales dirigit ad salutem nostram.

V. Gratia, sumpta pro motione supernaturali, est duplex, moralis & physica. Moralitè fit per ostensionem boni, quandoque adjuncta infusione luminis ad illud percipiendum; pertinet ad causam finalem. Physica fit per influxum effective, & intrinsecè reducendum facultatem ad actum; pertinet ad causam efficientem. Deum utroque modo movere voluntatem, docet Auctor 1. part. quæst. 109. art. 4. & alibi.

VI. Motio physica quandoque est mera applicatio potentie & virtutis præexistentis, ut cum Deus voluntatem justè movet ad actum charitatis. Quandoque, licet sit applicatio potentie, non est tamem applicatio virtutis, quia non præexistit, sed eam secum adfert per modum transcursus, ut dum Deus voluntatem peccatoris movet ad actum attritionis, aut contritionis: cum enim iste actus sit supernaturalis, & in illo peccatore nullus adhuc habitus supernaturalis existat, necesse est, ut illa motio conversionem inchoans secum adferat aliquam virtutem supernaturalem, non per modum habitus permanentis, sed per modum passionis transeuntis.

VII. Motio illa physica, quæ est mera applicatio potentie & virtutis præexistentis, iterum est duplex. Una generalis, qua Deus ut primus, & universalis motor applicat facultates secundum exigentiam, & modum earum ad actus sibi proportionatos. Altera specialis, qua Deus quandoque mentem hominis applicat ad cogitandum, vel volendum, quæ licet non excedat ejus vires, tamem secundum consuetum cursum, & dispositionem subiecti, homo ea non cogitaret nec vellet, & hoc tam in naturalibus, quam in supernaturalibus; ut dum hominem justum nihil cogitantem movet subito, & sine prævia dispositione ad aliquid supernaturale cogitandum, aut volendum, qua motione sic movetur homo, ut non se moveat, sicut dum movetur ad primam volitionem finis; de qua motione dixi Dissert. 3. de Actibus humanis art. 3. ut dissiparem hallucinationem quorundam, qui ex respons. S. Thom. ad 3. art. 6. quæst. 9. arbitrantur, eum hanc solam præmotionem physicam ad bonum in communi docere. Hæc autem motio specialis potest dici propriissime auxilium gratia;.

Observatio singularis.

VIII. DE altera motione generali, qua Deus ut primus & universalis motor, tam in ordine nature, quam in ordine gratia; applicat potentiam, & virtutem præexistentem secundum ejus exigentiam, & consuetum rerum cursum ad actus ipsi proportionatos, primo aspectu videtur non pertinere proprie ad auxilium speciale gratia; quia non datur gratuito, sed ex conaturali quadam exigentia; sicut enim, supposita collatione virtutis naturalis, illi debetur motio, seu concursus generalis ipsam præmovens ad actum proprium, ut igni ad comburendum, Soli ad illuminandum, ita quod sine miraculo non possit illi denegari; sic, quamvis justo data sit gratis virtus elevans ad bonum supernaturale, ea tamem supposita debetur quodam modo, juxta leges communis Providentiæ, generalis motio illam applicans ad actum ipsi proportionatos. Attamen, si rem alius consideremus, hæc motio generalis potest, & debet aliquo vero sensu dici speciale auxilium gratia; pro cuius intelligentia observandum est, hanc motionem generalem non eodem modo se habere in agentibus naturalibus, & voluntariis. Agentia naturalia habent naturalem formam, qua determinantur necessario ad unum actum sibi convenientem, ut ignis ad comburendum, Sol ad illuminandum, & sic exigunt motionem generalem determinatam ad actum sibi proprium. Agentia autem voluntaria non habent formam naturalem, qua determinentur necessario ad unum actum sibi convenientem, sed veritabilia sunt ad opposita, & defectibilia a bono sibi conaturali. Sic, licet objectum intellectus sit verum, voluntatis secundum se bonum naturale, voluntatis ut instructæ virtutibus infusis bonum supernaturale; tamem intellectus ad verum, & voluntas ad bonum sive naturale, sive supernaturale; feruntur flexibiliter, & sunt ab illo defectibiles. Unde, quamvis istis potentis debeat motio generalis, qua aliquando attingunt suum objectum, non tamem ut attingant semper, & indefectibiliter. Quod

ergo hic & nunc isti detur potius, quam alteri, est ex speciali gratia. Quapropter, si ista motio generalis consideretur respectivè ad naturam secundum se, aut ut instructam virtutibus infusis, dicenda est motio generalis, & non auxilium speciale gratium; quia ad providentiam generalem pertinet movere unumquodque agens secundum modum suum; & cum in homine sit inclinatio, attenuata licet & defectibilis, non tamen totaliter corrupta ad bonum, illi debetur motio, qua aliquando moveatur ad actum bonum sibi convenientem, & non semper ad malum. Unde, quod moveatur aliquando ad bonum, non est auxilium pure gratuitum, quia quodammodo debetur; neque speciale, quia non est ex speciali benevolentia & providentia, sed secundum leges communis providentiæ, quæ naturas defectibiles quandoque movet ad bonum suæ nature, quandoque permittit deficere. Idem dic de voluntate informata charitate respectu boni supernaturalis. Sed, si ista motio consideretur respectivè ad hominem, cui datur præ alio; tunc respectu hujus hominis potest, & debet dici speciale auxilium gratia; quia, quamvis natura, ut dictum est, exigat quandoque moveri in bonum, non tamem hic homo præ altero existit, ut hic & nunc potius, quam alter moveatur in bonum. Unde, quod moveatur in bonum, a quo alter deficit, & a quo ipse deficere poterat, est ex auxilio speciali gratia; id est, gratis collato.

Hanc observationem, quæ cuique nature attendenti per via est, expendit & tradit S. Thom. quæst. 24. de verit. art. 14. his verbis: *Quomodo, inquit, bona nature sue proportionata homo possit facere sine gratia gratum faciente, non tamen sine Deo, cum nulla res possit in naturalem operationem exire nisi virtute divina: & hoc verum est tam in naturalibus agentibus, quam in voluntariis. Tamem hoc alio modo habet necessitatem in utrisque: Operationis enim naturalis in rebus naturalibus Deus est causa, in quantum dat & conservat id, quod est principium naturalis operationis in re, ex quo de necessitate determinata operatio sequitur, supposita semper generali motione; quam, licet hic non exprimat, supponit tamen & alibi exprimit. Hanc autem generalem motionem non sufficere homini, ut agat bonum sibi conaturale, sed indigere speciali motione & directione, explicat sic prosequendo: Sed voluntas hominis non est determinata ad unum aliquam operationem, sed se habet indifferenter ad multas (id est, bonas & malas) & sic quodammodo est in potentia, nisi moveatur per aliquod activum, vel quod ei exterius representatur, vel quod in ea interiori operatur. Omnes autem exteriores motus (idem dic de interioribus) a Divina Providentia moderantur secundum quod judicat aliquem esse excitandum ad bonum his, vel illis actionibus. Unde, si gratiam Dei velimus dicere non aliquid habituale donum, sed misericordiam Dei, per quam in eorum motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem; sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei. Ergo, juxta S. Thom. homo propter indifferenciam humani arbitrii, ut bonum potius, quam malum agat, indiget divina providentia, quæ secundum quod judicat convenire, moderatur motus ad bonum, & misericordia Dei, per quam interioris motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad bonum. Nemo autem dicere potest, hoc auxilium esse huic homini præ altero debitum: ergo est gratuitum; quia non datur ex merito, sed ex misericordia: est & speciale, quia non omnibus datur, quantumvis respectivè ad naturam secundum se sit & debitum & generale. Hæc observatio, quam antè nos fecerunt Doctissimi Bancel & Goudin, omnino necessaria est ad enodandas difficultates, alioquin intricatissimas, hujus Dissertationis. Tollit namque ambiguitates & æquivocationes, propter quas multi cespitant & deluduntur, conciliatque opinionibus Thomistarum apparenter contrarias, ut patebit ex dicendis.*

Totam suam questionem concludit S. Thom. 10. articulis: 1. Utrum absque gratia possit homo aliquid verum cognoscere? 2. Utrum absque gratia possit aliquid bonum facere, vel velle? 3. Utrum absque gratia possit diligere Deum super omnia? 4. Utrum absque gratia possit per sua naturalia præcepta legis servare? 5. Utrum absque gratia possit mereri vitam æternam? 6. Utrum ad gratiam possit se præparare sine gratia? 7. Utrum possit resurgere a peccato sine gratia? 8. Utrum sine gratia possit non peccare? 9. Utrum homo gratiam consecutus possit absque alio divino auxilio bonum facere, & vitare peccatum? 10. Utrum possit perseverare per seipsum? Quas difficultates pro modulo explicare conabimur articulis seq. Unde sit